

1525 præinctum mœnibus oppidum ingressus, tumultuario opere aggere, & cratibus circumambit; depopulari, grassari, deterere undique populos, & agricolas jubetur. Franciscus Sfortia mille quadringentos pedites cum exiguo equitatu ductu Rodulphi Varani Camertis, nec non leviores equites nonnullos Alexandri Bentivoli Bononiensis auspiciis exire præcipit. Ea re audita, Palavicinus, licet Franciscum Rangonium Mutinensem cum peditatu, equitatuque sibi præsto futurum intellexisset, moræ impatiens, numero suorum confidens, paucitatem hostium contemnens, ad pugnam egreditur. Equites Bentivoli initio in fugam vertuntur; sed Sfortianorum omnium adventu re cominus agi cœpta, Palavicini copiae referre pedem; dux frustra animos addere, in confertos hostes impetum facere; donec equo excussus, Bentivoli, Sfortianorumque prosperum certaminis eventum sua captivitate cumulavit: quo facinore erecti Cæsareanorum animi de totius belli exitu felicia omina accipere, alacriori animo pugnam appetere; cum etiam eodem fere tempore Rhætorum sex millia inopinato ex regiis castris callido Joannis Jacobi Medicei facto recessissent.

*Joannis
Jacobi
Medicei fa-
cinus.*

Erat is Mussiæ arcis, quæ juxta Larium lacum sita est, præfectus; cumque mente secum reputaret, qua ratione Clavenna Rhætorum oppido, non longe a lacu summo potiretur, fors consiliis aditum struxit: nam cum per eos dies Clavennæ Præfectus nihil hujusmodi suspicatus, arce, quæ juxta collem oppido imminet, egressus esset, a militibus, quos Mediceus inter quasdam rupes in insidiis non longe ab arce disposuerat, comprehenditur; atque uxore ad vociferationem, tumultumque commota, & quidnam illud rei esset, ad portam sciscitante, milites strictis ensibus eidem minantur; ni statim arx traderetur, conjugem interfekturos. Itaque reclusa porta, Cæsareani arcem occupant. Confestim Mediceus cum trecentis peditibus arce egressus, oppido potitus est. Qua re ad Rhætos delata, cuncti ad arma concurrunt; qui in regiis castris erant per literas vocati, mox proscriptionis poena deteriti reditum in patriam moliantur. His accensi Cæsaris Duces, ac in primis Davalus, in cujus auctoritate, con-

*Clavenna a
Mediceo oc-
cupata.*

filio,